Nondum.

Dilecte fili. Gratum est, quod vales, et diligentiam in studiis eam adhibes, ut tibi non videatur perire tempus tuum. Gratius tamen fuit idem intelligere ex fratre tuo. Nam, quod te attinet, vereor, ne nimis cito tibi satisfacias, et dives videaris. Magna res est eruditio et sapientia et prudentia, ad quam multa requiruntur. Quare dabis operam, ne tibi tempus et occasio pereat. Imprimis, quia pater tuus senescit, qui te ut unicum (quo merito gaudes) unice diligit et cupit te esse eum, quem appareas unica cura parentis fuisse. Caeterum non recte disputasti cum fratre tuo. Kibbutz enim dicitur vocalis, quae facit קִבּוּץ שְׂפָתַיִם collectionem labiorum. Kibbutz dicitur à קָבַץ quod notat accumbere, ut oves pastoribus solent. Quod in denotatione vocalis certe usum non habet. D. Gronovium compellare, ut potueras. Is mihi respondit, ad veteraque collegia unum se stitisse Carolum Creuzium. Jacobus Gronovius Hamburgi est, inde tamen ante hiemem reversurus. Nos heri tertii S. Coenam celebravimus per Dei gratiam. Numerus mortuorum superioris septimanae incertus est mihi. Diversum heri dixere in templo diversi. Summus erat 230.[†] Fuere nondum Falcoburgenses et Leiderdorpienses, et in iis insoliter hominum confluxus. Quod sine contagione fieri ~~non~~ vix potuit. [illegible] Lectiones meae, Deo gratia, satis frequentes sunt. Amsterodami dicitur numerus insigniter minui. Regulas, quas petis, his subjeci.

[†] Alii dixere 201.

De Hiphil et Hophal. 1. In his litera formativa est ה. 2. quod in Hiphil punctatur per Chirek in praeterito, in caeteris per patach: in Hophal per kamets ~~...~~ chatuph, raro, extra paradigma, per Kibbutz. 3. Formativa futuri excludit formativam[^] conjugationis: et ex participii, quae est מ/ 4. Hiphil in praeterito[^] terminatur in Chirek magnum, in imperativo in Tzere; in futuro utrumque indifferens est. 5. Ante augmentum à vocali incipiens[F] est Chirek magnum. 6. Ante augmenta praeteriti à consona incipientia in omnibus conjugationibus fiunt eaedem vocales. 7. Ante נָּה futurorum in Hiphil, Pihel, Hithpael est Tzere. 8. Cum Chirek ~~aut~~ penultimo est accentus. 9. Hophal terminatur ~~ut~~ in pathach per totam formam, in solo participio habet Kamets.

[^] formativa

[^] et participio

[F] in Hiphil

quod ante augmentum à vocali incipiens corripitur in Schevah.

De Pihel, Puhal, et Hithpaël. 1. In his secunda radicalis habet Dagesh forte, et ante id Pathach, excepto praeterito Pihel: et conjugatione Puhal, quae in initio Kibbutz habet. 2. Pihel et Hithpaël in Tzere terminantur, Puhal ~~..~~ in fine convenit cum ~~*~~ Hophal. 3. ~~Hiph~~ Hithpaël ab initio formatur per propositum הִתְ/ Si thema incipiat à sibilo, fit transpositio, et ת post ש mutatur in ט, post צ in ט/ 4. In Pihel et Hithpael formativa futuri praeatur per Schevah. ut et מ participii. 5. In Puhal est ~~et~~ participium sine מ et cum מ ejusdem significationis. 5. Formativa futuri et participii in Hithpael extrudunt ה.

Haec ~~raptim~~ subito in meridie ~~..~~ [illegible] 22. Sept. 1664.

Tui amantissimus Jos. Cock

...uta D. Fratrem et Sororem ...am. Proxime, Deo volente, ... ita scribam. Fratri si...spicos, Danielem ac D. Van Seven aegrotantem à D. Wyngaarden visitatum. quos ...tui salutat.

Johanni Henrico Coccejo
bonarum literarum
Studioso.

Bisslingam.

Middelburgh ten huyse
van M. H. Jacobus
Anslaer Predicant